Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

P hoc enim quod nostras infirmitates et mortem pro nobis pertulit nos ad humilitatem provocavit et caritatem in nobis accendit.

I n eo enim in quo passus est potens est etc. Nonne ante passionem immo ante incarnationem potens erat temptatis auxiliari. Non enim eius potentia per passionem est augmentata. Quid est ergo in eo in quo passus est potens est eis qui temptantur auxiliari?

S olutio. P ost passionem bene novit per experimentum que sit ista temptatio et tribulatio patientium. Unde cum multa alacritate protendit manum ad compatiendum. Ideo dicitur potens hic facere et perfecte hic nosse. Scit enim qui fuit ille qui in proprio patiuntur. novit quando et quantum et quibus manum debeat porrigere. Unde propheta: Factus est dominus refugium pauperi adiutor in oportunitatibus in tribulatione.

T anto ampliore etc. Nonne se ipse ille qui dispensat in domo maiorem habet in ea gloriam quam ille qui fabricavit eam. Quomodo ergo dicit apostolus tanto ampliore etc.

S olutio. H oc est intelligendum de domo spirituali que dicitur Christo tamquam dominus et creator est Moyse servo et ministro.

S ecundum diem temptationis. Temptat homo ut sciat quod ignorat. Per quam accipitur hic. Temptatio est quedam animi percurrens experientia ad aliquid agnoscendum quod prius ignorabat. Temptat deus ut probet per afflictionem et tribulationem ut probatum coronet. Temptat diabolus ut deiciat aliquem in peccatum. Unde dicitur et ne nos inducas in temptationem id est ne sinas deici in peccatum. Temptat caro cum eius motus inordinatos sentimus. Temptat mundus cum nos per vanitatem ad amorem sui provocat.

Q uibus offensus fuit etc. Alia translatio habet proximum. Quomodo ergo si offensus fuit proximum vel si proximum offensus est et si utraque littera non potest stare. que potius tenenda? S olutio. P roximus fuit adhibendo correctionis flagella quia proximum est proximum corrigere. offensus fuit et iratus quia per flagella et noluerunt penitere. Vel bonis xl annis ubi potest intelligi iratus quia tanto tempore non eos introduxit in terram promissionis. Hanc tamen sententiam sequens littera non videtur approbare. Ut aliis vero ubi potest intelligi proximum quadraginta annis. que tanto tempore eos sustinuit. nec ex toto delevit.

S i introibunt in requiem meam etc. Figura est que dicitur aposiopesis. et est sensus. Si hoc erit quod liber impossibile erit. vel non amplius credatur mihi in aliquo. Nota quatuor esse sabbata